



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

Caput Primum. Cvm in pace esset Ecclesia, multis praesagiis tempestas religionis praenuntiatur, & demum à Luthero infelix tragaedia inchoatur qui tanquam stella de coelo lapsa secum in miserabilem ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

# FLORIMVNDI RAEMVNDI

Consiliarii olim Regis Galliae

## MEMORABILIS HISTORIA

*De Ortu & Progressu ac ruinis Hæreseon Saculi XVI.*

### LIBER PRIMUS

*Tractans de Ortu Hæresis in Imperio, & in quo statu erat  
Christiana Fides Anno 1500. nostræ salutis.*

#### ARGUMENTUM.

Cum in pace esset Ecclesia, multis prælagijs tempestas religionis prænuntiatur, & demum à  
Luthero infelix tragædia inchoatur, qui tanquam stella de cælo lapsa secum in miserabilem  
ruinam, traxit suo tumore, quasi tertiam partem Stellarum, adiuuantibus eum  
dæmone vitij & favore hominum, ex dissimulatione  
& eloquenti dicacitate eius acquisito.

#### PRÆFATIO OPERIS

##### CAPUT PRIMUM.

##### ARGUMENTUM.

- I. Ecclesia hostium suorum victrix, altissima fruitur pace.
- II. Ecclesia multi Antistes in utramq; aurem dormientes, nouo eoque improviso bello opprimuntur.
- III. Diaboli tempore & occasionebus insidiantis sagacitas & industria.
- IV. Sleidani, quem Lutherani veluti pro altero T. Lilio habent, in schismate hoc eiusq; causis describendis vanitas, & contra eum meliores Authores producti.
- V. Scopus operis huius vniuersi.
- VI. Auctoris excusatio.

I.  Labente sæculo post Christum Salvatorem natum decimo-sexto, Ecclesie post tam multa prælia, victorias & triumphos, nulli iam, quæ late patet eius gremium, quæ cristas contra ipsam tollere auderent, hostes nisi extranei, Turcæ scilicet, Iudæi, & Gentiles supererant: omnia collum ultrò iugo eius submittebant, omnia potentiam eius agnoscebant, & imperium reuerentur. Jam duces ejus velut confecto bello victricia arma ad tholos suspendebant, jam ex hostiũ spoliis trophæa pulcherrima in sacris illis Palatiis erecta passim cernebantur; milites verò victores complicatis crucis in formam atque in sinum compositis manibus, sub umbra ejus turò requiescebant, expectantes dum illi

A

16

velut fugiui aut ad signa Ecclesiæ redirent, aut pessimo letho interirent. Inter ea dum hi Cantibus suis & hymnis cœlum feriunt, Deo pro tot victorijs gratias agentes; illi terram matrem suam mordent, in eam mox descensuri, cernere erat velut cumulos, è roribus & hæreticis profigaris fructos, nimirum Hærensium, Valdensium, Petrobusianorum, Arnoldistarum, Albigensium, Vicleuistarum, Picardorum, Hussitarum, & aliorum qui proximis retro quadringentis annis arma Ecclesiæ inferre ausi fuerant. Verum post dulcissimam iam longi temporis pacem & quietem, ecce tibi nouum ac domesticum bellum, quo post nefariam Arrij perfidiam, nullum vniquam asperius aut crudelius Ecclesia sensit. Hoc nimirum illud est quo omnes superiorum temporum controuersitioris iam dijudicatæ, & infinitis propemodum tractationibus finitæ, è sepulcro rursus eruta & renouatæ, in quibus ipsis tamen sæpe diuinæ benignitatis & misericordiæ radijetiam clarissimè interfuxerunt. Vt enim Deus facilem manum dat, & ad se trahit eos qui verâ pœnitentiâ ducti, sese humiliant, & errores suos agnoscunt ac retractant; ita eorum qui pernicaciter ipsius se insignibus & Ecclesiæ opponunt, capiti grauiissima mala, velut extento ad ictum brachio, misatur. Hinc est quod Propheta dicit, inferos ad Dei vocem contremiscere, & diabolos ad sonitum vocis eius fremere.

II. Quemadmodum longa malacia propinquam tempestatem navigantibus plerumque minatur; ita diuturna hæc pax Ecclesiæ novarum turbarum fuit index, quæ non multo post exorta sunt. Dum enim Catholicorum ducum & militum nonnulli longa prosperitate quasi ebrijs ingenio indulgent, & immensarum diuitiarum delicijs immergi, sub septentrionali frigore, in veramque autem dormiunt; vetus ille hostis diabolus è latebris suis tanquam ex equo Troiano immaenam gigantum & terræ filiorum numerum eduxit; qui cœlo bellum inferre ausi, muros Ecclesiæ quasi apertos, & plurimis locis male custoditos, inuadunt domos expugnatas diripiunt, ac velut obscura in nocte, incendio ac cædibus in oppressos vndique grassantur; adeo vt vix ad flammæ lucem Leopardi pellem ex Antenoris ædibus suspensam potuerint agnoscere? & parum abfuerit, quin Raab quoque meretricis ædes (quamuis rubro fune, vt in direptione Hierichuntis, manus ab ea abstinerentur, insignitas) expugnarint. O infelicem felicitatem! O prosperitatem, insidiosam, quæ miseris mortalibus dulci

felle inescatis, tam amarum poculum mifces? Tu sanè non minus, quam charissimi nobis Affectus, oculos nostros exæcas, animosque ira excantas, ut etiam ipsum felicitatis datorem agnoscere nequeamus. Non sic aduersa fortuna, oculos illas nobis aperit, & animum ab omnibus vitiosis humoribus & imaginationibus purgat, ut homo tanto melius se ipsum cognoscere possit: quam cognitionem p̄ dolo! non tarò felicitas infelix obicit, aut etiam planè auferit.

*Casus sinistros, dixeris roatè quidem  
Homini molestos, sed timendos prosperos.*

Et hæc illa est, ut optimè Seneca inquit, quæ à se & super se causas ruinæ suæ attraxit.

III Ad hæc suomet ductu Malignus ille Spiritus à Deo maledictus, & æterno supplicio destinatus, Ecclesiæ sine ulla intermissione insidians, terribilem hunc & penè lethalem ictum etiam ei infligere voluit, ut dante olim accepta quodammodo ulcisceretur; & per Hæreses non minus quam per Idola quondam Ecclesiam oppugnaret, ut Tertullianus in simili casu dixerit. Quare tempus hoc valde sibi opportunum existimavit, quo, non quidem pristinam puritatem & innocentiam Ecclesia amisisset, & relicto verbo Dei, sibi ipsi relicta tamquam res suas sibi habere iusta esset, ut aduersarii ajunt, nequaquam: hoc enim esset, Dei, perpetuam Spiritus S. assistentiam Ecclesiæ polliciti promissa certa & infallibilia evacuare, de quibus quicumque dubitat, potest idem de eo dubitare, an Deus qui vniuersa condidit, satis virium ad explenda promissa habeat, sed quum animadverteret multos Ecclesiæ Antistites profundo ocio & delicijs, quibus jam diuturna pax, & per eam congestæ diuitiæ, materiam suppeditabant, sepultos; de conatibus suis bene sperare cœpit, non aliter quam carnivora aves præpingua animantia, quæ semianima jacere videt, ad escam sibi obliquis oculis designant; iis vero quæ per pascua vegeta exsultant ac currunt, appropinquare non audent. Et quemadmodum olim Atrali Pergami regis, congestæ Romam, opes, Urbi illi in vecto luxu, plus nocuerat quam profuerunt: ita Ecclesia non parua è diuitiis, vel earum abusu potius, incommoda excepit, quippe quum aurea in ea vasa, sed lignei essent sacerdotes; pro eo quod olim ligea vasa, sed aurei sacerdotes fuissent, eo tempore damna accepit, eum antegresso tempore hostis eam, utpote vegetam, & hostes etiam vltro prouocantem, minimè aggrediendam sibi putârunt: Nouerat enim quamdiu prisca illa disciplina

ciplina in ea perdurauerit, facile ei fore omnes astus eludere, omneiq; vim elidere; at ea remissa, facilem sibi aditum futurum. Inde est quod ad primum impetum, antequam murum grauissimus aries percussisset, nonnullos quibus Ecclesie ex parte, custodia commissa erat, subito terrore percussos vidimus in aduersam partem, traditis clauibus, vltro transfugisse; alios incerta spe se aliquamdiu defendentes, sacrorum quibus custodiendis appositi erant, locorum ruina oppressos fuisse. Et quidem qui inopinato opprimuntur, à victis parùm absunt; at qui vigilant, non facile hosti præda fiunt. De illis Ezechiel Propheta loquitur, inquit; O Infelices! non in arenam vos descendistis, non murum ad defendendam domum Israel opposuistis, tam molles in aduersis, quam ebrii & feroces in secundis rebus. At profecto hæcenus & sortem & vlturam tam immoderatarum nimiumque expetitarum voluptatum exsoluistis, utpote in quas præcipuus huius furoris impetus sese effudit. Nempe quum Deus punire mundum constituit, à sua domo incipere solet, ut Apostolus inquit. Ego, inquit alibi, Dominus, respicio ad Pastores, & oues meas de manibus illorum requiram, faciam eos cessare à pascendo & pastores non amplius seipsos pascent, sed oues meas ex ore ipsorum liberabo. Ea inter miseras deprehens, quid ergo facies miser ista videns sentiensq; Ecclesiastice? Fatere & agnosce, virgas illas quibus humerui lacerantur, à diuina manu esse. Si conqueri vis de nemine alio conquerere nisi de teipso: neque aliam causam tuis miseris assigna, quam iustam Dei, non tuis tantum, sed totius quoque populi, cuius animarum cura tibi commissa est, peccatis offensæ indignationem. Hic ille est malleus qui portas cæli percussit; hæc fomenta quibus diuina ira accensus ignis, tanta violentia in ipsam quoq; Dei domum grassatus est & adhuc grassatur.

IV. Porro nemini hac nostra ætate (quam recte Noctem Mundi appellare possis) viuenti, ea incognita sunt, quæ ex hac rebellionem sunt consecuta, nimirum Deo omnipotenti suam gloriam, Ecclesie decus suum & honorem, & tandem omnibus Monarchis & Principibus imperium extorquere atq; eripere. Malum quidẽ hoc omnes sentiunt; at mali causam pleriq; non æque cognitam habent, idcirco ut eam, quæ malis nostris, queis etiamnum obruimur, initium dedit exactè cognoscamus, ab eius explicatione huic meo operi initiũ facio. Neq; enim harum rerum historia adeo per-

uulgata est, ut nemo sit, qui eam nesciat, quin imo sunt, qui eam ad captum suum & lubitum accommodent, ut scilicet, tãquam pij filij, patris sui, hæreseos vino, vel veneno potius ebrii, pudenda vellent, & originis suæ turpitudinem ac spurcitiam occultent. Velamen hoc seu pallium contexit Sleidanus ad cuius conscientiam & libros plerumque recurritur posthabitis ijs que eadẽ de re Henricus VIII. Rex Angliæ, Georgius Dux Saxonie, Henricus Dux Brunluicensis, Thomas Morus, Erasmus, Eccius, Lindanus, Hosius, Cochlaeus, Gropperus, Fontanus, Roncerus, Surius, & alij tam boni viri quã fide digni Auctores scripta nobis reliquerunt. maximeq; illa, quæ Casparus Vlenbergius, ex ipsiusmet schismatũ Authoris scriptis & dictis collecta, fidelissimè tractauit postquã ex Lutheranis castris ad Catholicos recurrit. Ex his vti etiã ex Cardillo, & Historia Latomi & Gasparis Gennepij Colonie edita Sleidani refutatione perspicuum fit, quid de Sleidano sit Christiano homini censendum, nimirum tam pulchritamq; alture quæ sitis coloribus Hæresim ab eo pictam ac fucatam, ut ipsa immaculata Iesu Christi sponsa simplicioribus videri possit? Tantus hic in lupo ouilla pelle regendo est artifex, tam multis Historiam suam inseruit mendacijs, ut eorum ab vno homine vndecim millia notata sint. Hinc factum est, ut quemadmodum Cyprianus Tertulliani scripta lecturus, Cedo mihi Magistrum meum, aiebat, ita Carolus V. inclytæ memoriæ Imperator teste Surio in Chr & Opmero Sleidani Historiã inspecturus, Pseusten suum siue Mendacem porrigi sibi iubebat, in quem merito illud Homeri detorquetur. Mos garrite tibi multa est.

Eamq; ob causam ipse Sleidanus, ut Cromerus testatur, Lutheri potius ac Lutherana religionis Encomiastes, quã Historicus à viris cordatis harũq; rerũ peritis appellatus fuit. Olim pictor quidã ut capitis deformitatem in Pericle celaret, casside illud tectũ pinxit. Et alius Antigoni altero oculo capti formã delineaturus, dimidiam tantum faciei partem præsentauit, eodem planè modo Sleidanus ea, quæ iustam in Luthero reprehensionem merentur, miro quodam artificio occultas, alium nescio quem, nobis depingit ac proponit, & quidquid potest in laudem eius venatur; non tamen ita, quin multa eiusdem vitia, factus in primis & arrogantiam, feritatem, oscitantiam, polypragmosynem, & imprimis carnales & immoderati animi affectus omni-

bus passim locis prodat & ostendat. Interim nihilominus Lutherorum hic alter, si diis placet, Titus Livius, omnium fere manibus teritur, & in varias linguas transfusus, nescio qua dulcedine legentium animos allicit ac detinet. Ut enim aurum artificiosa cælarum manu ac pictum gemmis quantumvis per se lucidis maius decus addit: sic mira quædam non inconcinne contexta varietas Sleidani scripta ita commendat, ut legentis animum non modo non expleat, verum etiam magno reliqua cognoscendi desiderio accendat. Quoniam vero scriptor hic non sine multorum perniciæ, dum Statum Religionis & Reipublicæ exponit, nocentissimum Hæreseos virus legentibus propinat: operæ precium facturum me putavi, si Antidotum hoc contra paratam, & pro absyathio & felle hæreticorum, sinceram mel Christianæ & Veritatis degustandum omnibus proponerem.

V. Quandoquidem verò plerique omnes qui Christianæ Reipublicæ quietem siue spiritualibus siue temporalibus armis perturbarunt, causas & defensionem suæ rebellionis non vulgari tantum, sed Latina quoque lingua, ut quæ omnibus ubique nationibus communis sit, evulgarunt: nobis quoque faciendum putavimus, quo nempe à pluribus, atque adeo ab omnibus apud quos Latine linguæ usus viger (apud quos vero non viger?) cognosci possent. Nimirum sic *Ars deluditur arte* Fine interim longè diverso, ut scilicet scripta nostra legentes Catholici, antiquitate, magnitudine & veritate Religionis suæ perspecta, gaudeant sibi gratulentur; Lutherani verò, Zuingliani & Calvinistæ novitatem, vilitatem, angustias & imposturas suorum dogmatum agnoscere incipiant & detestari. Equidem futurum non dubito quin hic Catholici continuam Pastorum suorum, ab Apostolis tamquam hereditario jure, tot jam sæculis acceptam successionem, meridiana luce clarius videntes, magna lætitia incessuri sint: hæretici contra præ pudore, ut qui sæculo suo antiquius allegare, nec tertiam generationem majorum, ipsi etiam tam jure quam facta ab Ecclesia tamquam ingrati filii, atque adeo hostes, ex hæreticis, ætatem producere possint, demissis manibus & tecto vultu diffugituri. Et hoc quidem modo illi in antiqua fide sua confirmabuntur, hos vero, spero & opto, tandem novorum dogmatum siue opinionum pigrit ac pudebit.

VI. Ad vos jam, ô Lutherani, Calvinistæ & Zuingliani, mea se convertit oratio: Adeste: arri-

gite, si vultis, aures ad ea quæ dicturus sum, convertite oculos ad tot Ecclesiarum sacrarumque ædium in pulvere iacentium ruinas, aspiciate tot regna & regiones cladibus ac stragibus funestas: ecquid aliud, miseri, videbitis nisi tristitia patrum ac majorum vestrorum imo & vestri furoris signa ac vestigia? Habebitis hic vitæ ipsorum quasi compendium, & tanquam vivam schismatis hujus Lutheri Calvinistici imaginem. Grande profecto opus, aggressum me sentio, cujus pondus vel sola cogitatione me quasi attonitum reddidit. In quo quidem conscribendo non tam temporis quàm ipsarum rerum & subiecti rationem habeo, nulli bella aut dissidia Principum merè civilia aut ad Reipublicæ solius statum pertinentia intermissurus, ut plerique alii hæcenus fecerunt, ne lectoris animus aliis rebus occupatus, ab eo de quo agitur avocetur, aut intricatus passim obhærescat. Hanc certè historiam toti quotidie Mundo antè oculos ponendam censeo, ut quisque intelligat in quo statu Christiana religio decimo sexto sæculi nostræ reparatæ sæculo fuerit, eo nimirum tempore quo Hæresis ex inferno progressa, cælo denuo bellum inferre, & terrâ suo subjugare imperio conata est: in quam multiplicè formam, velut Proteus aliquis, sese eadem converterit & qui primi schismatis hujus fuerint auctores: quæque & quam multa non minus admiranda quam deploranda grassante passim hæresiarum furore, consequuta sunt: verbo, quis ortus vel moestrosus porius abortus, qui progressus Hæresios fuerit, ut denique quis ejusdem exitus futurus sit, non dubiis argumentis lector colligere possit. Verè enim D. Hieronymus, dixit *Hæresin refutat, qui quis originem eius demonstrat*: ego verò velut in theatro quodam sub diversis Scenis in diversos Actus distinctis lamentabilem Tragediam producturus sum. Primam personam seu proasum ager Germania: quam velut pedissequæ aliæ ad Septentrionem regiones quæ Hæresi & erroribus decipiendas se præbuerunt, sequentur. Epitrasin Anglia & Scotia, siue magna Britannia ut à reliquo orbe, ita ab Ecclesia quoque jam divisa, ac tandem Francia Tragediæ huius Catastrophen constituet. In hoc theatrum spectanda veniet Hæresis, passis capillis, oculis igne ardentibus, anguibus ex ore erumpentibus terribilibus, à Sathana tamquam Hercule furioso conductâ atque incitata, qui cælo iratus ac terræ exitio imminens, magnam post se manum pertinacium Hæresiarum ac hæreticorum trahit. Et hi qui-

quidem partes præcipuas hic agent in varias vultus sese transformantes personam modo simulantem modo occultantes, subinde morientes, subinde velut Hydræ capita renascentes. Apparebit hic tum singulare artificium & ordo quo in tanta rerum omnium confusione ad destruendam domum Dei vsi illi; tum industria & modi quibus Catholici iam grassanti malo obviam ire conati sunt. Et quemadmodum ex vna parte elucebit iustitia eius, qui semper bene facit quodeunque etiam facit, quando alij malefaciunt, ac præcipue dum eiusmodi turbas ac rebelliones in regno suo excitati permittit, vt tanto maiori ac certiori pace ac quiete postea fruatur: ita ab altera quoque parte misericordia eiusdem & promissorum veritas aperitissimè sese ostendent, ut qui mediis in turbis ac hostium furore Ecclesiam suam, quam agitari, non submergi voluit, tam clementer defendit; ac tam potenter omnibus periculis liberavit. Interim illud quoque Lector animadvertet, paucissimos esse qui Catholicæ Fidei veritati aures occludant, è contragentes natione autem barbaras, locis infinitas, numero innumerabiles obviis vlnis eandem accipere atque amplecti, Urbem aliquam aut civitatem hic à Catholicæ religionis abdicatam vides, alibi integram provinciam eidem de novo adjunctam videbis, provincia aliqua à Catholica Fide abscedit? at integrum alibi Regnum eidem accedit. Omiram Dei providentiam! Vix Septentrionali frigore rigere coepit Religio, quum ecce Austrino calore eadem liquefacta, ad ultimos etiam terrarum fines diffundi & propagari coepit, uti ex Annis Soc. JESU iteris, & Indiarum Historijs constat.

QUOMODO MOTUS OB RELIGIONIS DISSIDIA EXORTI, VARIIS CÆLORUM PRÆLAGIIS & OSTENTIS FACIANT PRÆSIGNIFICATI.

## CAPUT II.

## ARGUMENTUM.

- I. Sub principium sæculi XVI. variis Religionum mutationibus totus terrarum orbis perturbatur.
- II. Ipsum quoque Cælum multa futurorum malorum præsignia & indicia edidit.
- III. Imperiorum & rerum publicarum ruina.
- IV. Religionis mutationes.

V. Varia Prodigia in aere siue cælo conspecta, instantis Schismatis indicia.

VI. Potentia qua Astris tribuitur, in laudem DEI cedit.

**P**rofunda vt dixi pace, summaque Religionis concordia vniuersus Christianus Orbis fruebatur, in Maiorum fide vnusquisque acquiescebat, nec vlla inter eiusdem religionis socios nisi forte de finibus imperij proferendis erat contentio: quum ecce sub initium decimi sexti sæculi (quod præcipuam nostræ huic historiæ materiam præbebit) omnes Mundi partes schismate & Hæresibus distractæ, infinitis calamitatibus & miserijs inundati coeperunt. In Asia, Africa, Europa, & nouo Mundo turbis & confusionibus pullulantibus: dum alij impiæ Mahumetis commenta & mendacia expolire, alij Euangelicæ Veritatis intellectum nouum quærere student. Itaque videre erat eo tempore Musulmannos cum Turcis; Iezelbas cum Cazelbis; Seriphios cum Africanis; Christianos denique cum Christianis digladiationes inchoando infestis animis ac tanto furore depugnare, vt ne vltimæ quidem sanguinis guttæ parceretur: dum illi veterem & à maioribus acceptam Religionem summo studio tuentur, hi nouam introducere ac stabilire conantur, vt IV libri huius Capite fusius à nobis dicetur. Ita vno eodemque tempore Quatuor Mundi partes Religionum controuersis perturbantur, atque omnia ita miscuerunt, vt ruptis fæderum vinculis populi antea inter se amicissimi, capitalibus odijs dissidere coepissent, & in mutuam perniciem armari. Ex quo apparet quam verè à Gregorio Nazianzeno in l. de Pace Oratione dictum sit, vt ad firmandam ac tuendam hominum concordiam nihil efficacius sit, quam Religionis consensus, ita nihil esse quo eorundem animi magis distabantur atque alienentur quam eiusdem diuersitatem.

II. Sane ipsum cælum quasi iratum tam his quam illis varijs signis ac prodigijs demonstravit, prope diem fore vt suis ipsi manibus alter ab altero debitas pœnas exposcerent. Quemadmodum enim fulmen primum in nubibus scintillas & fulgur quoddam longe lateque explicat, vt aer ipse ardeat videatur, mox horribili cum murmure ipsa terræ fundamenta concutit, antequam rupes & cœlo minantia cacumina diffundat ac dissipet: aut quemadmodum antequam terra ad emittendos visceribus suis inclusos spiritus, & quæ dorso portat de-